



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs XI. De Temporibvs Ordinationvm, Et Qvalitate Ordinandorvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

& malitiam Capituli, & cum causa cognitione.

2. *Talis autem Visitor seu Administrator constitutus ab alio, quam à Papa, non potest ea beneficia conferre; quæ ad liberam Episcopi collationem pertinent.*

1 **R**atio est: Quia ad Capitulum, vacante Sede pertinet ius administrationis: quod illi Archiepiscopus auferre non potest, absque causa necessitatis. Sin autem necessitas postulare videatur, tum iura dant Archiepiscopo hanc potestatem, causâ prius iudicialiter cognitâ. At verò Summus Pontifex ob plenitudinem potestatis suæ Administratorem liberè deputare potest, sed non solet, si Capitulum nihil deliquerit.

§. Huiusmodi.

- 2 **A**dministratores, qui Sede Vacante, ab alio, quam Summo Pontifice constitui-

tur, non potest ea beneficia conferre, quæ ad liberam Episcopi collationem spectant: licet alioquin tam in spiritualibus, quam temporalibus legitimam administrationem habeat.

Ratio est: Quia Administrator fructus ac redditus Episcopatus successoribus conferre debet e. vlt. d. 61. Collatio autem libera beneficiorum veluti inter fructus Episcopatus computatur: Ergo &c. Accedit, quod Administratori, quamvis cum libera constituto, donare non est concessum, vt dixi supra hoc lib. & tit. c. 2. Collatio autem beneficij veluti donatio quædam est, vt etiam appellatur in c. 3. extrâ, hoc tit. Sin autem collatio beneficiorum communi ad Capitulum & Episcopum pertinet, tum vacante Sede, vnâ cum Capitulo conferat Administrator, vti Gl. hic notauit.

TITVLVS XI.

DE TEMPORIBVS ORDINATIONVM, ET QUALITATE ORDINATIONVM,



Via Prælatorum, maximè Episcoporum proprium est, primam tonsuram & ordines conferre, ideo de his tractatus hoc loco instituitur.

CAPITVLVM I.

Subdiaconos.

SVMMARIVM.

Diebus Dominicis, vel Sabbato Pentecostes ab alio, quam Papâ, sacri ordines conferri non possunt: possunt tamen diebus Dominicis & festis ordines minores conferri, & virgines consecrari, quibus anno ætatis 25. velum consecratio-

nis dare proprium est Episcopi, alijs delegari non potest, nisi à solo Papa, velum autem continentia etiam simplex sacerdos dare potest.

1 **I**n hoc c. tria asserit Alexander III. Papa. Primum: Subdiaconos nemini, præter Romanum Pontificem, die Dominica ordinare concessum est. Quod etiam statutum leges in Concilio Lateranensi sub eodem Alexandro, in appendice tit. de dispositione Clericorum, n. 23. Subdiaconatus enim inter sacros ordines numeratur: sacros ordines verò tantummodò in Quatuor iuniorum Temporibus conferre licitum est, vt ibidè habetur n. seq. Excipitur verò plenitudo potestatis Papalis, quæ ob speciale priuilegium, eiusmodi legibus, quoad propriam personam, non adstringitur.

Alterum.

Alterum. Diebus Dominicis concessum est ordines minores conferre, & Virgines consecrare. His adde, ex eodem Concilio Lateranensi, cit. tit. n. 25 Non tantum Dominicis, sed omnibus festis diebus minores ordines conferri posse, de quo infra c. 3. Virginum autem consecrationem non tantum diebus Dominicis, sed alijs festiuitatibus Virgines consecrari posse: quod etiam docent Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 27. n. 34. Sa ver. consecratio, n. 51. Instante autem mortis periculo, omni die hæc consecratio fieri potest, iuxta cit. c. deuotis.

QVÆRES: Cuius sit velum consecrationis Virgibus dare, antio videl. ætatis XXV. iuxta c. placuit, 14. c. virgines, 19. ead. q. 1. Respondeo cum S. Th. 4. d. 38. q. 1. d. 5. Paludan. a. 3. Syl. ver. Virginum consecratio, n. 3. Tabienam ibid. n. 1. Esse id proprium Episcoporum, neque alteri delegari posse; præterquam à Sum. Pontifice. Qui tamen non facile id alijs committere solet; aded, vt Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 64. a. 2. dicat se nullum inuenire potuisse privilegium, secundum quod Regulares Mendicantes Moniales suas consecrare possint. Sed velum continentiae viduis simplex etiam sacerdos dare potest, c. vlt. causa 20. q. 1. Vide Hostiens. in sum. hoc tit. n. 4. & que docui lib. 3. f. 4. n. 8.

Tertium. In Sabbato Pentecostes sacri ordines conferendi non sunt, sed in hebdomade sequente, cum accepta Spiritus sancti gratia ieiunium instituitur.

CAPITVLVM II.

Sanè.

PARAPHRASIS.

In Scotia, & Vallia inualuerat consuetudo antiqua, vt in dedicationibus Ecclesiarum,

vel altarium, sacri ordines conferrentur, extra Quatuor ieiuniorum Tempora. Hanc consuetudinem ait Alexander III. esse penitus improbandam, quippe institutioni ecclesiasticæ repugnantem: Imò nisi multitudo ita ordinatorum, & antiqua terræ consuetudo obstaret, non deberent illi in susceptis ordinibus ministrare; & ordinatores potestate ordinandi priuandi forent.

SVMMARIVM.

1. Non est laudabilis, sed potius improbanda & tollenda consuetudo introducta contra Ecclesiam vniuersalis canonis, qualis est canon de sacris ordinibus præmissio ieiunio conferendis.
2. Excusantur tamen à culpa & pœna diœcesani, si se tali consuetudini conformant, modo ea iuri naturali non repugnet, aut ecclesie per se damnosa sit.

NOTANDVM Vn. Consuetudo particularis introducta contra Ecclesie canones in vniuerso orbe introductos, præsertim si ab Apostolis instituti sint, (qualis est canon iste de sacris ordinibus præmissio ieiunio conferendis, vt dixi lib. 4. tr. 8. c. 2. n. 4.) laudabilis non est, sed potius improbanda, atque, si fieri possit, tollenda. Quia valde expedit vniuersalis Ecclesie canonibus, non sine iusta ratione institutis, particulares quasque ecclesias conformari. Cæterum, dum eiusmodi consuetudo, iuri alioquin naturali non repugnans, neque ecclesie per se damnosa, toleratur, seu non damnatur, à culpa & pœna excusantur diœcesani, si pothabitis ecclesie vniuersalis canonibus, illi se conformant: eò quod quisque conformare se possit, & plerumque debeat antiquæ, & aliquo modo præscriptæ, consuetudini eius ecclesie, cuius proximum membrum est, vt docui lib. 1. tr. 4. c. 3. n. 5. & c. 11. Talis est consuetudo Orientalium sacerdotum, qui matrimonio ante sacerdotium contracto vtuntur, contra antiquum & in ecclesiis vbique receptum Apostolorum canonem. Hæc consuetudo

fuetudo laudabilis cenferi non debet, fed, fi fieri poffit, tollenda: interim tamen dum non tollitur, excufat Græcos à peccato. Qua de re dixi lib. 5. tr. 9. c. 11. Cætera, quæ de fufpenfione, tum ab ordinante, tum ab ordinatis incurrenda hîc dicuntur, fi ordinatio extra quatuor ieiuniorum tempora fiat, infrâ explicabuntur.

CAPITVLVM III.

De eo.

SUMMARIUM.

1. Ordines minores, etiam extra generalem ordinationem, quouis Dominico die, aut fefto conferre licet; modo non tam multi ordinentur, vt videatur effe generalis ordinatio.
2. Subdiaconatus autem & alij Ordines conferri debent in quatuor temporibus, Sabbato fancto, & Paffionis.
3. Prima tonsura quouis die conferri potest, Minores autem ordines die Dominico, aut fecundum Ecclefiam (faltem particularis) præceptum, fefto conferri debent.
4. Prima tonsura & quatuor Minores eodem die conferri poffunt. Quibusdam locis confuetudo eft, vt conferantur non in ipfo Sabbato, fed anticipatò præcedente feria V I. aut IV. & tempore maritino.
5. Non eft neceffarium, vt in ecclefia conferantur; ordinatio enim hac institui in alio honefto loco potest, præfertim in domo epifcopali.

Ordines minores non tantum in ordinatione generali conferre licitum eft, fed etiam quouis die Dominico, aut fefto, faltem vnus, & alter ordinari potest; imò etiam plures, ait Gl. communiter recepta, dummodò non fint tam multi, vt videatur effe ordinatio generalis. At verò Subdiaconos nulli Epifcopo, præter Sum. Pontificem ordinare concessum eft, nifi in ordinationi-

bus generalibus, quæ fieri debent in Sabbatis Quatuor Temporum, Sabbato Paffionis Domini, & Sabbato Refurrectionis.

His quædam addenda funt: I. Prima tonsura quolibet die conferri potest; cum de hac re nihil iure constitutum fit, vt docet Tabiena ver. ordo 2. n. 4. Armilla eod. ver. n. 7. Henriq. lib. 10. c. 12. n. 1. Sed minores ordines die Dominico aut fecundum Ecclefiam (faltem particularis) præceptum, fefto conferri debent, iuxta probabiliorem sententiam apud Barbofam p. 2. alleg. 11. n. 18. II. Quatuor minores ordines fimuleodem die conferri poffunt; imò etiam cum prima tonsura, vbi talis ecclefiam confuetudo eft, teste Tabiena ver. ordo, n. 3. Syl. eod. ver. 2. n. 7. III. Prima tonsura, & quatuor minores in quibusdam ecclesijs conferuntur non in Sabbato, fed per quandam anticipationem præcedente Feria VI. aut IV. quæ confuetudo reprehendi non potest, vt dixi lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 8. n. 1. IV. Neceffe non eft, vt prima tonsura, & quatuor minores ordines conferantur sub Miffæ sacrificio; neque vt ordinans ieiunus fit, teste Armilla ver. ordo, n. 6. Barbofa p. 2. alleg. 11. n. 10. Confuetudo tamè eft, vt tempore maritino conferantur. V. Neque etiam neceffarium est, vt prima tonsura & ordines in ecclesia conferantur, cum etiam in alio loco honefto, præfertim epifcopali domo, ordinatio ifta institui poffit, ficuti testatur Henriq. lib. 10. c. 11. n. 8. Barbofa cit. allegat. 11. n. 20. & sumitur ex c. quando & vbi, d. 75.

CAPITVLVM IV.

Ex tenore.

SUMMARIUM.

Criminosus occultum moneri potest, ne promoveatur ad ordines, sed si velis & petat, prohiberi non potest.

SI aliquis Clericus occultum peccatum commiserit, quod si notorium vel publicum esset, nec in fufceptis ordinibus mifi-

Arare, nec ad altiores ordines ascendere permittitur; huic Episcopus pœnitentiam condignam imponat, eique suadeat, ut parte pœnitentiæ peractâ in susceptis ordinibus ministret, sed ijs contentus, ad altiores ordines non ascendat. Quod si nihilominus ordinationem petat, non potest ei Episcopus negare, quando crimen occultum est.

Sermo hic est de crimine, quod neque populariter notorium est, neque iudicialiter, sed Episcopo secretè cognitum ad paternam correptionem; ita ut euulgare ei non liceat, sicuti docui lib. 3. p. 2. c. 4. n. 6. & tra. 3. c. 3. num. 5.

Calus autem huius e. duobus modis intelligi potest: Primò, de crimine, quod ipso iure suspensionem, aut irregularitatem non dispensabilem ab Episcopo inducit. Ut si Diaconus abortum mulieri procurarit, fortuam animato: Hoc casu Episcopus homini in conscientiæ foro iniunctâ pœnitentiâ condignâ, suadeat, ut in susceptis ordinibus ministret, quatenus id necesse est ad infamiam evitandam; sed ad ordinem presbyterij non ascendat, ante impetratam dispensationem à Papa. Quod si nihilominus ordinari se publicè petat, tamen occultè indignus sit, repelli non potest. Eò quòd sacramenta, & omnes actus publicæ potestatis, gubernationis, aut dispensationis exerceri debeant secundùm publicam notitiam & opinionem, non secundùm priuatam scientiam gubernantis, vel dispensantis: cum alioquin multa scandala, perturbationes, & iniuriæ oriri possent, ut docui lib. 5. tr. 4. c. 6. n. 10. Et ita explicant hoc c. Gl. fin. Syl. ver. ordo, 3. q. 9. Sanchez lib. 3. de matrim disp. 15. n. 8. Hic tamen intellectus difficultatem aliquam patitur; quia textus significat, quòd Episcopus occulto criminoso suadere debeat, ut ad superiores ordines non ascendat: cum tamen idiplum ei in isto casu imperari debeat pro conscientiæ foro, uti constat ex c. ult. hoc tit.

Secundò intelligi potest de crimine enormi, quod per se non infert suspensionem, aut irregularitatem; sed suspensionem, ac depositionem mereretur per Iudicis sententiam, si notorium, aut iudicialiter cognitum esset,

v. g. incestus. Et enim Clerico incestuoso occulto Episcopus pœnitentiam condignam in foro conscientiæ peragendam imperare debet: atque insuper suadere, ut aliquamdiu abstineat à sacro ministerio, donec parte pœnitentiæ peractâ, Deo satisfecerit pro peccatis; ad superiores autem ordines, propter humilitatem, & ad dignam agendam pœnitentiam, non ascendat: Si tamen promoveri velit, repelli non potest, cum iure impeditus non sit. Qua simili ratione dixi lib. 5. Theol. mor. tr. 10. p. 4. c. ult. §. veruntamen, quòd marito incestuoso in foro conscientiæ suaderi possit, ut mortuæ uxore à secundis nuptijs abstineat, ob pœnam tanti delicti: si autem nolit, imperari ei id non posse.

CAPITVLVM V.

Ad aures.

PARAPHRASIS.

Aliqui Religiosi questi sunt apud Archiepiscopum Turonensem, quòd Prælati eorum consentire nolint, ut ad superiorum ordinum gradus ascendant; cum tamen digni essent, & nullus eis defectus obijci posset. Ad id respondit Lucius III. honestius, ac tutius esse, ut Religiosi obedientiam Præpositis suis impendentes in inferiore ministerio deseruiant, quàm ut cum Præpositorum scandalo gradum appetant superiorem; cum non in gradum sublimitate, sed in amplitudine charitatis acquiratur regnum Dei. Sed & ideo Religiosorum querele condescendendum non est, quia fieri potest, ut Prælati eorum secreta crimina ut defectus nouerint, ob quos ad sublimiores ordines promoveri non debeant.

SUMMARIVM.

1. Prælati Ordinum ratione voti obedientiæ potestatem iurisdictionis obtinent in suos regulares, ut precipere possint, que pertinent ad Ordinis regulam, disciplinam, ordinum gradus, &c. nec Episcopus

Rrr pss

pus se immiscere potest, nisi constet de negligentia, vel iniuria Prælati.

2. *Prælati sciens in secreto (non sacramentali) alicuius regularis defectum, v. g. irregularitatem ex homicidio occulto, non debet, neq; potest eum ad Ordines mittere.*

NOTANDVM Vn. Prælati Ordinum potestatem iurisdictionis obtinent in Regulares suos, vt ipsis, ratione præstiti voti obedientiæ, præcipere possint, quæ pertinent ad Ordinis regulam, disciplinam, rationem viuendi, officia, & ordinum gradus: Ita, vt Episcopus se immiscere non debeat, nisi constet de negligentia, vel iniuria Prælati. *Qua de re dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 7. n. 28.*

Obijci solet: Quod responsio huius c. contraria videatur c. præced. Respondeo; Nequaquam esse contrariam. *Quia si Clericus, v. g. ad beneficium promouendus, ordines superiores petat, Episcopus ratione officij sui obligatus est illi conferre, si canonicum impedimentum ipsi obijcere non possit, tametsi occultum eius crimen sciat, vt supra dictum. Sed alia ratio est de Prælato Ordinis, qui obligatus non est Regulares suos ad altiores dignitates, aut ordinum gradus promouere; cum obedientiarum sint, seu ex imperio & dispositione Abbatis pendentes,* iuxta c. non dicatis, 12. q. 1. *Quamobrem si Prælati in secreto (non sacramentali) sciat alicuius Regularis sui defectum, v. g. irregularitatem ex homicidio occulto, non debet, imò neque potest eum ad ordines mittere; cum sine peccato suscipere nequeat. Constat enim, quod Prælati mittendo, adeoque iubendo, vt ordines irregularis accipiat, cooperaretur peccato eius.*

CAPITVLVM VI.

Si Archiepiscopus.

SVMMARIVM.

1. *Metropolitani ab omnibus Suffraganeis consecrari debet*
Sed hæc obligatio videtur in his prouinciis esse remissa ex voluntate Papa.

2. *Suffraganei à tribus Episcopis consecrantur, iussu Metropolitanæ, & cum consensu aliorum Episcoporum comprouincialium.*

3. *Et hoc antiquo iure; nouo autem promotiones ecclesiarum Cathedralium seu Episcopialium sunt reseruate summo Pontifici; nisi quod nominatio seu presentatio personarum idonearum ad Episcopatus relictæ sit Regi Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, &c.*

In sola Germania ius eligendi Capitulis Cathedralibus adhuc competit per Concordatam Germaniæ cum Nicolao V. Pontifice.

4. *Consecratio Episcoporum etiam in alia ecclesia, quam Cathedrali institui potest. Generalis autem clericorum ordinatio in Cathedrali, vel alia, quantum fieri potest, digniore ecclesia.*

5. *Episcopi vel Archiepiscopi die Dominico consecrari debent.*

AD consecrationem Archiepiscopi, quæ in ecclesia metropolitana fieri debet iuxta c. qui in aliquo, §. Sed nec, in fine, d. 51. omnes Episcopi Suffraganei seu Comprouinciales venire debent, vt omnibus presentibus & assistentibus ordinetur. Ita Lucius III. atque habetur in c. 1. d. 66.

Arbitror autem, ex Summi Pontificis voluntate hanc obligationem remissam esse in his prouincijs, quibus Episcopi à Metropolitana ecclesia plerumque plurium dierum itinere distant.

S. Reliqui.

EPiscopi Comprouinciales à tribus Episcopis, iussu Metropolitanæ, requisito prius consensu aliorum Comprouincialium Episcoporum, consecrari debent. Ita etiam habetur in c. porro, d. 66. & tota ferme d. 64. & 65.

Quod si in prouincia contingat vnum tantum adesse Episcopum, is conuocabit Episcopos vicinæ prouinciæ, & cum illis ordinabit Episcopum Comprouincialem, c. si fortè, d. 65. *Quia hoc ius Vniuersitatis deuoluit*

noluit ad unum, ait Gl. ibi, ver. superstes.

Sciendum verò est, decreta hæc intelligenda esse secundum ea tempora, quibus confirmatio Episcoporum Metropolitanò relinquebatur: Is enim prius singulorum Comprovincialium suffragia exquirere debebat, quòd dignum iudicaret eum, qui in Episcopum ordinandus esset. Quòd si omnes, aut pars maior Comprovincialium consentiret, tum vel ipsemet eum cum duobus alijs Comprovincialibus Episcopis consecrare, vel tres ad consecrandum deputare debebat, ut apparet in c. seq. Postea verò Summus Pontifex prouisiones Ecclesiarum Cathedralium, seu Episcopaliū omnes sibi reseruaui, extrauag. Ad regimen, de præb. & reg. 2. Cancellar. Nisi quòd nominationem seu præsentationem personarum idonearum ad Episcopatus & alias prælaturas Regibus Galliarum, Hispaniarum, Poloniae, &c. reliquerit: In sola autem Germania ius eligendi Episcopos, sicuti canones antiqui requirebant, Capitulis Cathedralibus adhuc competit per Concordata Germaniarum cum Nicolao V. Pontif. Sed confirmatio electorum à Pontifice intra tres menses petenda est, quam is conferre solet post exacta de electis testimonia, instituto examine, eosdemque mox consecrari iubet. Videri potest Azor tom. 2. lib. 3. c. 29. q. 1. Barbosa de potest. Episc. tit. 1. cap. 4.

4. **QVÆRES:** Quo loco, aut die Episcopi consecrati fieri debent. Respondeo, & dico I. Licet decens sit, eam fieri in Ecclesia Cathedrali, tamen id necessarium non est; cum de eo iure nihil statutū reperiat: Quare etiam in alia Ecclesia consecrationem Episcopis (non verò Archiepiscopis) dari posse, docet Tabiena ver. confirmatio, n. 13. in fine, & sumitur ex c. qui in aliquo, §. Sed nec, in fine, d. 51. De generali autem Clericorum ordinatione statuit Synodus Trident. sess. 23. c. 8. de reformat. ut ea in Cathedrali Ecclesia, aut, si in alio loco instituat, in digniore, quantum fieri potest, ecclesia, clero præse, publicè fiat.

5. Dico II. Episcopi, & Archiepiscopi die Dominico consecrari debent, ex antiquiss-

ma (vt Leo I. arbitratur, relatus in c. quod die, d. 75.) Apostolica traditione. Quare alia die, absque Sum. Pontificis licentia, consecratio Episcopi peragi non debet.

CAPITVLVM VII.

Ne Episcopi.

Idem omnino in hoc c. habetur, quod in præced. traditum, & explicatum fuit.

CAPITVLVM VIII.

Cùm quidam.

SUMMARIVM.

Ordinatus extra legitima tempora, vel ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorialibus, à susceptis ordinibus suspensus manet.

Qui Ordines acceperit eo tempore aut die, quo conferri non debent, videl. extra quatuor tempora (vti Gl. interpretatur) à susceptis ordinibus suspensus manere debet, donec absolutionis gratiam mereatur.

De hæc re habemus nunc clariorem Constitutionem Pij II. quæ incipit, *Cum ex sacrorum*: Qui extra legitima tempora, vel ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorijs aliquam ex sacris ordinibus accipere præsumperit, ab eodem suspensus maneat, donec ab Ordinario suo absoluat. Legi debent, quæ circa hanc suspensionem annotant lib. 5. tr. 9. c. 10. n. 2. suspens. 3. & quæ scripsit Quaranta in sum. Bullarij, ver. ordo, princ. Barbosa p. 2. de potest. Episc. allegat. 14. vbi etiam refert priuilegia à Pontificibus Trident. Concil. concessa quorundam Ordinum Mendicantium Regularibus, vt extra quatuor tempora, cum Prælatorum suorum licentia, sacros ordines suscipere possint.

CAPITVLVM IX.

Cùm secundum.

SUMMARIVM.

Latini secundum morem Græcorum extra quatuor Tempora ieiuniorum ordinari non debent.

Rrr 2 Græ-

GRæci consuetudinem habebant sacros ordines etiam extra quatuor ieiuniorum tempora conferendi. Hanc consuetudinem, si apud Græcos ab antiquo tempore recepta & exercita sit, licet Cælestinus III. damnare non audeat, ita ut secundum eum morem ordinati culpam, aut censuram contrahere censendi sint, prohibet tamen, ne Latini secundum dictum Græcorum ritum ordines accipere à Græcis Episcopis permittantur.

Ratio responsionis dari debet. Quia Clerici à proprio Episcopo secundum canones ordinari debent. Tamen si verò Episcopi possint licentiam, seu literas dimissorias dare, ut ab alieno Episcopo ordines accipiantur, non tamen expedire visum fuit, ut dimissoriae darentur ad Episcopum Græcum, extra quatuor ieiuniorum tempora, contra antiquos canones ordinantem.

Corollarium. Si Latina Ecclesia vicina sit Ecclesie Græcæ, in qua Eucharistiæ consecratio & communicatio fit in pane fermentato, non videtur permittendum, ut subditi, absque necessitatis causa, ex Ecclesia Latina egrediantur ad Græcam, ut ibi in fermentato Eucharistiæ accipiant, ne Orientalium consecrandi ritum præferre videantur ritui Ecclesie Romanæ, ab Apostolis per traditionem accepto. Sed alia ratio est, si Sacerdos latinus peregrinari debeat per terras Orientalium: is enim si velit, conformare se poterit Ecclesie Græcorum, & in fermentato consecrare, vel communicare, uti ex communi dixi lib. 1. tract. 4. cap. 12. num. 6. Propterea quod ea consecrandi consuetudo approbata sit pro Ecclesiis Orientalibus in Concilio Florentino, in decreto unionis: Iste autem peregrinus versatur in Ecclesia Græca: Ergo consuetudini ibi approbatæ se conformare potest; idque causâ pacis, & ne ritum Græcorum damnare videatur.

* * *

CAPITVLVM X.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Monachus quidam albi habitus transiit ad Monachos nigros, eorumque habitum induit, atque ad sacerdotium promotus est. Quæsitum fuit ex Innoc. III. Papæ verum in sacerdotij ordine ministrare permittendus sit. Affirmat Innoc. III. si nullum aliud impedimentum canonicum obstat.

SUMMARIUM.

Monachus transiens absque licentia & dispensatione ad Ordinem alium non strictiorem, in quo sacerdotium accepit, permittendus est in eo liberè ministrare.

Canonistæ duobus modis hoc c. intelligunt. Primò, quod transierit ad Monachos regulæ strictioris. Sed tum nulla fuit ratio dubitandi, & consulendi Pontificem, cum transiit ad Ordinem strictiorem canonico iure permittendus sit, licentiâ Prælati petita, quamvis non obtentâ, c. licet, 1. 8. de Regul. & docui lib. 4. tr. 6. c. 6. n. 9.

Alter, & probabilior intellectus est, quod absque licentiâ & dispensatione transierit ad Ordinem non strictiorem. Quamobrem videbatur suspensionem Papæ reseruatam incurrisse, propter ordinem in apostasia susceptum, iuxta c. ult. de apostatis, ubi habetur, quod Religiosus in apostasia ordinatus, eo ordine uti non possit, absque Papæ dispensatione. Ad hoc respondet Innoc. III. Hunc Monachum apostatam non esse, cum à Religione non omnino discesserit, sed in alia Religione transierit. Quamvis ea in re peccarit mortaliter, arg. c. intelleximus, 12. de rat. & qualit. & quidem contra vota sua, quibus se huic Ordini, ac Prælato tradidit: Imò hodie excommunicationem Sedi Apostolicæ reseruatâ incurrit Religiosus Ordinis Mendicantis, si ad non mendicantem Ordinem se transferat, extrauag. 1. de Regularibus. Vide Syl. ver. Apostata, q. 4.

CAPL.

Quod translationem.

PARAPHRASIS.

Quæsitum est ex Innoc. III. quid agendum sit Clericis latinis, qui exeunt ad Ecclesiam græcam, à Græco Episcopo, secundum ritum eorum, extra Quatuor ieiuniorum tempora ordines sacros susceperunt. Respondet Papa, distinguendum esse; Si absque licentia seu dimissorijs literis sui Episcopi ordines susceperant, interdendum est illis ordinis exercitium; eò quòd ab Episcopo alieno sine licentia proprii ordinati fuerint. Sin autem Episcopus licentiam dedit, culpandus quidem est, quòd Clericos suos secundum Græcorum ritum ordinari voluerit, dum tamen talis ipsorum ritus ab Ecclesia toleratur, Clerici sic ordinati ab executione ordinum susceptorum impediri non debent.

1. Qui ab alieno Episcopo sine licentia proprii Ordinarij ordinem suscepit, eius legitimam executionem non habet.
2. Ritum antiquum extra quatuor ieiuniorum Tempora ordinandi toleratur in Græcis; magis tamen probatur consuetudo Latinorum.

NOTANDVM I. Qui ab alieno Episcopo sine licentia proprii ordinem accepit, eius legitimam executionem non habet. Quare hoc sensu, videl. in ordine ad exercitium, dicitur talis ordinatio irrita, d. 71. c. 1. & seqq. Verùm hæc non est propriè dicta suspensio; eum etiam sine culpa contrahi possit ab eo, qui inuincibili ignorantia laborat. Nouiore autem Constitut. Pij II. propriè dicta suspensio incurritur ab ijs, qui sine dimissorijs literis ab Episcopo alieno sacrum ordinem accipere præsumperint. Ad quam censuram incurendam requiritur dolus; aut saltem culpa crassa & mortalis, vt dixi lib. 5. Th. moral. tr. 9. c. 10. n. 2.

NOTANDVM II. Licet propter consuetudinem antiquam in Græcis toleretur ritus extra quatuor ieiuniorum Tempora ordinandi, contraria tamen Latinorum consuetudo, vt pote antiquis canonibus consentanea magis probatur: quare permittendum non est, vt Latini, relicto suo more, Græcorum ordinationem suscipiant. Tamen ex hoc solo capite, quòd extra quatuor Tempora à Græcis ordinati sint, nulla suspensio aut inhabilitas contrahi debeat: quia per eiusmodi inhabilitatem ad ordinis suscepti exercitium damnaretur ritus ille Græcorum, argum. c. cum non est, eod. tit. quem tamen Ecclesia non damnare, sed tolerare vult.

CAPITVLVM XII.

In distribuendis.

SUMMARIVM.

Ordinatus à Papa, sine eius licentia ad superiores Ordines non promouetur.

Qui à Summo Pontifice ordinatus fuit, non potest ab alio Episcopo, absque Sedis Apostolicæ licentia, ad superioris ordinis gradum promoueri. Ita communiter hoc è intelligunt Canonistæ.

Ratio est. Quia propter excellentiam Pontificiæ potestatis, non videtur conuenire, vt quod ipse cœpit, non perficiat, argum. c. sanè, 7. de renunt. Quare dicere solent; Si Papa semel manus apposuit, quòd alijs se immiscere non debeat. Sic etiam dici solet de beneficijs Ecclesiasticis, postquam semel Pontifex manus apposuit, reseruando, aut quomodocunq; disponendo, quòd inferior Ordinarius disponere omnimodè prohibetur, extrauag. vlt. de præbend. & dixi lib. 4. Th. moral. tr. 2. c. 11.

Est autem hoc speciale in Pontifice: Et videtur accipiendum de omnibus ordinibus, etiam prima tonsura, vt qui eam à Pontifice accepit, ab alio Episcopo, sine licentia Papali, ordinari non possit, propter rationem suprà datam. At verò ordinatus ab vno Episcopo

Rrr ;

Episcopo

piscopo v. g. originis, ad superioris ordinis gradum promoveri potest ab alio Episcopo, v. g. Domicilij vel beneficij, argum. c. cum nullus, eod. tit. in 6. Excipe: Nisi Clericus in sacris, vid. Subdiaconus ordinatus sit ad Ecclesie seruitium, seu beneficium residentiam postulans, tum is ab alio Episcopo superiorem ordinem accipere non potest absque consensu prioris ordinantis, yti testatur Quaranta ver. ordo, Paulus Piascius in praxi Episcopali, p. 1. c. 1. n. 2. ampliat. 2. ex Trident. sess. 23. c. 16. de reform.

CAPITVLVM XIII.

Literas.

PARAPHRASIS.

Electum Episcopum Imolensem Bononiensis Episcopus in Sabbato quatuor Temporum Diaconum ordinavit, atque Dominica sequente continuato ieiunio sacerdotium contulit. Qua in re peccatum fuisse, respondit Innoc. III. Quia vno die duos sacros ordines conferre licitum non est. Hoc autem casu duo sacri ordines vno die collati censentur: nam ideo ieiunium continuatum fuit, vt ob eam, fictione canonica, vespera ad manè, & manè ad vesperam traheretur, ac veluti vnus diei ordinatio censeretur. Alioquin frustra ieiunium continuatum fuisset, cum etiam sumptà cenà in Sabbato, manè sequente ieiuni surrexissent ad Sacerdotij collationem. Quare Innoc. Papa Episcopum Bononiensem, vt in eo puniatur, in quo deliquit, à collatione Diaconatus & Presbyterij, Imolensem verò electum Episcopum ab executione Sacerdotij suspendit, absolutionem sibi reseruans.

SUMMARIUM.

1. Duos sacros ordines conferens & accipiens vno die incurrit suspensionem, vti & is, qui cum quatuor Minoribus suscipit Subdiaconatum.
2. Ob causam rationabilem potest differri

sacrorum ordinum collatio, ieiunio Sabbati continuato vsque ad manè Dominica sequentis.

3. Qui in Sabbato Sacerdos initiatus est, in Dominica consecrari Episcopus potest, etiam non continuato ieiunio.
4. Inter aliorum sacrorum ordinum susceptionem interstitium temporis requiritur, in quo tamen Episcopus dispensare potest; ordinati tamen absque huius dispensatione suspensionem non incurrun.

NOTANDVM I. Qui vno die duos sacros ordines eidem confert, & qui accipit, suspensionem incurrit. Qua de re dixi lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 10. n. 10. & videri potest Barbosa p. 2. de potest. Episc. allegat. 14. n. 11. Sed & ij suspensionem incurrun, qui cum quatuor Minoribus Subdiaconatum accipiunt, c. 2. de ea qui furtiue &c. præterquam si regionis consuetudo id permittat, yti Cardinales declararunt super Trident. sess. 23. c. 13. de reform. & videri potest Gutierrez lib. 1. canon. qq. c. 26. n. 32.

NOTANDVM II. Propter multitudinem ordinum, aliàmque causam rationabilem, generalis ordinatio differri potest vsque ad Dominicam, si ieiunium exactum continetur, ita vt per fictionem iuris, Sabbati & Dominici matutini veluti vnus dies, propter ieiunij continuationem, reputetur. Ita Leo I. epist. 79. ad Dioscorum, relatus in c. Quod à patribus, d. 75. & tradit Gl. hic communiter recepta, ver. pertinere, & dixi de hoc lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 8. n. 5. Vbi addidi n. 6. ex omnium sententia apud Anton. hic. n. 3. in fine. Eum, qui in Sabbato Sacerdos ordinatus est, in Dominica, non continuato ieiunio, Episcopum consecrari posse; cum id nusquam prohibitum reperitur. At verò inter aliorum sacrorum ordinum susceptionem interstitium temporis sacri canones requirunt, vt videre est in Trident. sess. 23. c. 11. 13. & 14. quibus requiritur, vt inter quatuor minores, & susceptionem Subdiaconatus; atque iterum inter Subdiaconatum & susceptionem Diaconatus

SUMMARIVM.

1. *Episcopus ordinans aliquem ante legitimam aetatem meretur poenam suspensionis ab ordinis collatione.*
2. *Ordinatus tamen ante legitimam aetatem suspenditur ab Ordinis executione usque ad aetatem legitimam.*
3. *Ordinans aliquem non habentem titulum sustentationis, vel patrimonium sufficiens, ei beneficium ecclesiasticum prouideri debet.*

NOTANDVM I. Episcopus aliquem ordinans ante legitimam aetatem, meretur poenam suspensionis ab ordinis collatione, vt in eo puniatur, in quo deliquit.

NOTANDVM II. Qui ante legitimam aetatem ordinatus est, ab ordinis executione abstinere debet, donec aetatem debitam consequatur. Idque verum est, tametsi censura suspensionis ablata sit per absolutionem ab Episcopo, v. g. aut Confessario priuilegiato datam: non enim possunt super aetate ad ordinis exercitium requisita dispensare, vt docui lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 10. n. 3.

Veruntamen rectè aduertit Suarez de censuris disp. 28. l. 4. n. 3. puerum hunc propriè non incurrisse censuram suspensionis: nam suspensio propriè dicta non incurritur nisi ob culpam: Puer autem iste peccasse non videtur, sed per simplicitatem Episcopo paruissè. Sed vocatur suspensio latiore significatione, quia ob aetatis defectum prohibitum ipsi erat ordinis suscepti exercitium: neque super ea re Papa dispensare voluit, propter iniuriam malè ordinantis, quam is ordinato, ipsique ordinationis sacramento intulit. Etenim inhabilitas seu prohibitio malè ordinati, vt ministerium exequi non possit, cedit aliquo modo in poenam ordinantis, vt etiam notauit c. quod translationem, in fine.

Corollarium. Qui ob simplicitatem, seu ob ignorantiam non mortalem, sacris ordinibus se ordinari patitur, post adeptam legitimam aetatem celebrare potest, non petita dispensatione, vel absolutione: quia non fuit propriè suspensus.

NOTAN-

natis, denique inter Subdiaconatum, & suspensionem sacerdotij saltem annus integer (Ecclesiasticus) interponatur, nisi ob ecclesiae utilitatem aut necessitatem aliud Episcopo visum fuerit. Potest igitur Episcopus dispensare, & Sede vacante, Capitulum: Et quidem etiam cum Religiosis, tametsi exempti sint: possunt enim, cum Prælatorum suorum licentia, subijcere se Episcopo in suscipiendis gratijs dispensationum, vel absolutionum, vt dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 23. n. 7. At verò cum non diocesanus, seu alio Episcopo subiectis non potest dispensare Episcopus ordinans, nisi id in literis dimissorias expressum sit, vt Cardinales responderunt apud Barbosam p. 2. allegat. n. 9. Placet in praxi p. 1. c. 1. n. 7. Quare qui dimissorias impetrant, curât id inferri, alioquin in Ecclesijs, quibus Trid. Concilium in diligente obseruatione est, repellentur ante transacta interfectionum legitima tempora.

QVÆRÆS. Vtrum ordinati absque Episcopi expressa, aut tacita dispensatione, interfectionis non obseruatis, censuram aliquam contrahât. Responso est negatiua, cum Zerola in praxi Episc. p. 2. ver. ordo, §. 8. Suar. de censur. disp. 31. l. 1. n. 43. & aliorum. Quia licet Sixtus V. suspensionem decreuerit, ea tamen à Gregor. XI V. postea sublata est.

CAPITVLVM XIV.

Vel non est.

PARAPHRASIS.

Episcopus Conuentrensis puerum tredecim annorum Subdiaconum ordinauit. Idem grè ferens Innoc. III. mandat, vt Episcopus à collatione ordinum, puer autem in odium ordinantis ab executione officij Subdiaconi, vsquedum ad aetatem legitimam peruenerit, suspendatur: Insuper Episcopus per censuram Ecclesiasticam compellatur, vt puero beneficium Ecclesiasticum prouideat.

³ NOTANDVM III. Episcopus ordinem maiorem conferens non habenti titulum sustentationis, vel patrimonium sufficiens, beneficium Ecclesiasticum ei provide re debet: Atque interea dum consequatur, ipse Episcopus, & successor eius hominem alere cogitur, c. Episcopus, 4. c. cum secundum, 16. de præbend. c. Si Episcopus, 37. eod. in 6. Vide quæ dixi cit. c. 10. n. 5.

CAPITVLVM XV.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Vacante Ecclesia Humiliensi, Canonici elegerunt, aut potius postularunt Guiliel mum in minoribus ordinibus constitutum. Hinc Episcopus Trecentis vno die omnes tres sacros ordines contulit: Et cum de hoc facto suo examinaretur, iuratus dixit, non proprio ausu, sed ex Metropolitanæ mandato id egisse; postea verò confessus fuit, sine mandato se ad hanc inordinatam ordinationem processisse. Sed etsi Archiepiscopus illi mandasset, parere illi non potuisset: cum Archiepiscopo in hac re facultas à sacris canonibus concessa non sit. Quare cum dictus Episcopus Trecentis in pluribus grauiter deliquerit, ideo eum Honorius III. ab ordinandi potestate tamdiu suspendit, donec Sedi Apostolicæ visum fuerit absolueri.

SUMMARIVM.

1. Episcopi & Archiepiscopi non possunt dispensare in vniuersalibus Ecclesie canonibus, nisi id ipsis concessum sit.
2. Si Superior aliquid iubet contra legem, in qua dispensare non potest non debet subditus obedire.

¹ NOTANDVM I. Episcopi, & Archiepiscopi dispensare non possunt in vniuersalibus Ecclesie canonibus, nisi id ipsis concessum reperitur. Quæ de re dixi lib. 1. Th. mor. tit. 4. c. 22. n. 4.

NOTANDVM II. Si Superior aliquid iubeat contra legem, in qua dispensare non potest, non debet subditus obedire: quia ille transgreditur limites potestatis suæ. Sin autem Superior aliquid iubeat cõtra legem, in qua dispensare potest, debet illis obediri, quia tacite seu ipso facto dispensare cõsuetur. Vt si Prælati dispensandi potestate præditus subditum, quem irregularem esse scit, ad ordines suscipiendos mittat, sicuti dixi eod. c. 22. n. 7.

CAPITVLVM XVI.

Consultationi.

PARAPHRASIS.

Gregorius IX. consultus ab Archiepiscopo Baranensi de ijs, qui extra tempora statuta sacros ordines acceperunt; Respondet: Dubium nullum esse, quin sacrum characterem acceperint: Et quamuis ab executione ordinis suspensi esse debeant, tamen Archiepiscopum, post penitentiam ipsis pro delicto impositam, permittere posse, vt in ordine suscepto ministrent.

SUMMARIVM.

1. A suspensione, aliæ censuræ, quæ indefinite fertur, nec Papa reseruetur, absolueri potest Episcopus, & similem Episcopali iurisdictionem habens, si reus deposita contumaciâ Ecclesie parere velit.
2. Nisi tamen crimen à Clerico commissum sit depositione dignum.

NOTANDVM Vn. Si in canonibus suspensio, aliæ censura indefinite feratur propter delictum, & Pontifici non reseruetur, censetur Episcopis aliisque similem Episcopali iurisdictionem habentibus concessa potestas absolueri, si reus deposita contumaciâ Ecclesie parere velit. Ita colligitur etiam ex c. ex literis, 1. de constitut. & c. nuper 29. de sent. excommun. Idem.

Idemque multo magis dicendum, si lex indefinite iubeat suspensionem ob tale crimen a iudice ferri, ut docet Suarez de censur. disp. 29. sect. 1. num. 18. Sin autem canon tempus definiat, quo suspensio durare debeat, tum inferior, videl. Episcopus, relaxare non potest. Quae de re dixi lib. 1. tr. 5. p. 3. cap. 4.

Deinde tradita doctrina limitari debet: Nisi crimen a Clerico commissum tale sit, ob quod secundum canones deponi debeat, videl. vnum ex maioribus, seu enormibus, sicuti explicauit p. 3. n. 2. §. crimina. Nam in talibus dispensare non potest Episcopus, e. a. si clerici, 4. §. de adulterijs, de iudicijs. Id vero nunc intelligi debet de criminibus notorijs, aut ad forum contentiosum deductis. Si enim occulta sint, Episcopus pro foro conscientiae absolueret & dispensare potest, homicidio voluntario excepto, per Concil. Trident. sess. 24. c. 6. de reform.

CAPITVLVM VI.

Quaestum.

PARAPHRASIS.

Quaestum fuit ex Gregor. X. Pontifice, quid agendum esset cum Clericis, qui ad adulterij, periurij, homicidij, aut falsi testimonij crimine se maculauerunt. Respondet Pontifex: Si talia crimina neque in populo notoria sint, neque per iudicialium processum comprobata, videl. per testes, aut propriam Rei confessionem, hoc casu Clerici criminosi post actam de crimine poenitentiam, non debent prohiberi, quod minus in susceptis ordinibus ministrant, & ad superiores ordines ascendant: excepto tamen homicidio. Sed ante actam poenitentiam monendi, & diuini iudicij proposito metu, obtestandi sunt, ut ne cum periculo damnationis suae, in susceptis ordinibus ministrare, multo minus ad ordinem superiorem aspirare audeant,

SUMMARIUM.

1. Si crimen Clerici enorme vel populariter vel iudicialiter notorium sit, prohibendus is est ab executione Ordinis suscepti, & susceptione altioris.
2. Occultus criminosus post actam poenitentiam in officio suo ministrare potest, excepto crimine homicidij.
3. Potest Sacerdos notorie criminosus, & ab exercitio ordinis non prohibitus, post poenitentiam & emendationem publice notam iterum celebrare, saltem aliquo temporis intervallo interposito.

Hinc per contrarium sensum colligitur, si crimen eiusmodi enorme vel populariter, vel iudicialiter notorium sit, prohibendos esse Clericos ab executione ordinis suscepti, & susceptione altioris; idque vel absolute, si spectatis omnibus, poenae depositionis inferenda videatur, vel saltem ad tempus, donec plene de commisso crimine satisfecerint.

NOTANDVM I. Crimen adulterij, incestus, periurij, falsi testimonij ipso iure non inferunt suspensionem, aut irregularitatem. Quare si facinus occultum maneat, Clericus post actam poenitentiam de tali crimine, in officio suo ministrare potest. Excipitur autem crimen homicidij, quod etiam si occultum maneat, irregularitatem conciliat, eamque non ab alio, quam a Summo Pontifice dispensabilem.

NOTANDVM II. Ex hoc c. probabiliter colligitur, non tantum Sacerdotes (de quibus dubium non est) sed etiam alios in sacris constitutos mortaliter peccare, si cum conscientia peccati mortalis in ordine suo ministrant, v. g. Diaconus Euangelium solemniter canter. Sed hanc q. plene disputauit lib. 5. tr. 1. c. 5. q. 4.

QVÆRES: Si Sacerdos v. g. fornicationem, vel adulterium in populo notorium commisit, sed ab Ordinario exercitium ordinis ipsi non prohibeatur, potestne post poenitentiam, & emendationem publice notam, interposito saltem aliquo temporis intervallo

§§§ teruat

teruallo, iterum celebrare? Responsio est affirmatiua, quam docui lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. q. 2. dicto 3. Quia, vt supra dixi, nec suspensus, nec irregularis est. Infamiam quidem contraxit popularem; sed ea vti per crimen contracta fuit, ita per eius abolitionem, seu pœnitentiam tollitur,

CAPITVLVM. I. cod. Tit.

in 6.

Sapè.

PARAPHRASIS.

Clemens IV. prohibet, ne Episcopus aliquis Italiæ Clericum vltamontanum ordinare præsumat, nisi à Pontifice expressam licentiam acceperit, vel ab Episcopo suo literas patentes afferat, in quibus causa rationabilis contineatur, cur ipsum nolit, aut non possit ordinare. Si secus factum fuerit, ordinans pœnâ condignâ puniendus erit ordinatus verò manebit suspensus, vt à nemine, nequidem à Pœnitentiarijs Sedis Apostolicæ sine speciali Pontificis licentia absolui possit.

SUMMARIUM.

Licet Episcopus Italia vltamontanum ordinare nequeat sine speciali facultate Papæ, vel per patentes literas Episcopi sui; poterit tamen Italus vltra montes ordinari, si petat.

Circa hanc Constit. quæritur primò; Vtrum similiter locum habeat, si Italus vltra montes se ordinari cupiat? Videtur enim esse affirmandum; propter identitatem rationis. Sed bene negant Gl. ver. Italiæ, Ioann. Monach. Archidiaconus, Ancharanus, & alij plerique. Quia lex pœnalis, aut à iure antiquo exorbitans propter similitudinem rationis extendenda non est ad casum, vel personas non expressas, sicuti docet Gl. in reg. 49. in 6. ver. in pœnis. Neque obstat, tamen si rationem diuersitatis fortasse assignare nõ possimus: potuit enim legislatorem mouere ra-

tio, quam nos ignoramus, cur de Italiis, & non de vltamontanis tale statutum ediderit. Quo sensu Vlpianus dixit l. 28. ff. de legibus, quòd non omnium, quæ à maioribus constituta sunt ratio reddi potest.

Quæritur secundò: Vtrum satis etiam sit, si dimissorię literæ, quales in textu requiruntur, ab Episcopo domicilij afferantur. Negat Gl. ver. emisit, quia in textu tantum fit mentio de Episcopo originis, & de Episcopo beneficij. Sed contrarium rectius docent Ioan. Monachus, Archidiaconus, Ioan. Andr. Ancharanus. Quia hæc extensio vltra verba textus, propter omnimodam similitudinem rationis facta, alijs iuribus consentanea est, vt apparet ex c. 3. hoc lib. & tit. Est autem id frequens, imò necessarium, vt vnum ius per alterum suppleatur, arg. c. cum expediat, 29. de elect.

Quæritur tertio. Vtrum huic pœnali constitutioni locus etiam sit, si Clericus vltamontanus in Italia primam tonsuram, vel ordines minores accipiat? Aliqui negant apud Ancharanum hic. Quia in proœmio solum fit mentio de susceptione ordinis sacri, Sed Gl. hic ver. clericus, affirmat: quia constitutio generatim loquitur, vt nullus Episcopus vltamontanum clericum ordinare præsumat: cum ergo ius non distinguat, nec nos distinguere debemus, arg. l. de pretio, 8. ff. de Publiciana. Alij verò distinguunt, vt Suarez disp. 3. sect. 1. n. 19. Textum intelligendum etiam esse de quatuor minoribus, non autem de prima tonsura: Quia primam tonsuram conferre propriè loquendo, non est clericum ordinare; cum prima tonsura non sit ordo, neque ea clericis conferatur, sed laicis. Mihi placet sententia Gl.

Ad fundam. 1. sententię respondetur; Potius attendenda esse verba constitutionis, quàm quid in proœmio præmissum fuerit. Ad fundam. Suarez respondetur cum Gl. Quòd Episcopus vltamontano primam tonsuram conferens clericum ordinet, quando per eam clericum efficit. Est id frequens in sacris canonibus, vt prima tonsura clericalis ordo dicatur, ei usque collatio clerici ordinatio, vt constat ex c. Lugdunensis, 9. q. 2. & clarus

clarius ex c. cum contingat, 11. de et. & qualit. & optimè notavit Nauar. conf. 11. hoc tit. edit. 2. Quare etiam pœna huius c. vt taliter ordinati absque spe dispensationis suspensi maneant, locum habet in tonsuratis: quia tonsuræ collatio rata non censetur, in ordine ad superiorem gradum seu ordinationem accipiendam, nisi in hoc casu Papa ratificet ac dispenset.

CAPITVLVM II.

Eos qui.

PARAPHRASIS.

Qui Clericum alienæ diœcesis, absque Superioris sui licentia scienter, aut per ignorantiam affectatam, vel quemcunq; pretextum ordinare præsumpserit, per annû à collatione ordinum suspensus est: Et postquam suspensio ordinantis manifesta fuerit, clerici ipsi subditi libera interim facultate gaudebunt ab Episcopis vicinis ordines accipiendi. Quod verò ad ordinatos attinet, circa eos seruanda sunt pristina iura d. 71. cap. 1. & seqq. quibus decernitur, vt eorum ordinatio irrita censetur, non quòd charactèrem non acceperint, sed quòd legitimam ordinis executionem non habeant, nisi cum ipsis dispensetur, vti etiam dictum fuit in c. quod translationem, 11. extrà, hoc tit. & optimè hic docet Ioan. Monachus, n. 8. vbi rectè etiam admonet, hanc non esse propriè suspensionis censuram; sed inhabilitatem quandam, propter defectum ordinantis, vti etiam dixi lib. 5. tr. 9. c. 10. n. 2.

SVMMARIVM.

1. Qui Clericum aliena diœcesis absque Superioris sui licentia, scienter, vel per affectatam ignorantiam, aut quemcunq; pretextum ordinare præsumpserit, per annum à collatione Ordinum suspensus est.
2. Et probabiliter quidem omnium Ordini-

- num, & non tantum illius, quem ordinans subdito non suo malè contulit.
3. Episcopus ob causam, que sibi visa est rationabilis, alienum bona fide ordinans, non incurrit censuram suspensionis; secus autem est, si temerè & sine rationabili causa, sine ficto quodam pre-textu rati habitionis.
4. Neque circa pœnas & inhabilitates Tridcent. quidquam mutauit; requirit autem, vt ab Episcopo alieno ordinari cupiens literis dimissorijs à proprio Ordinario commendetur. Si secus fiat, & sacrum Ordinem aliquis ab alieno Episcopo sine eius dimissorijs suscipiat, propriè suspensionem incurret.
5. Hec constitutio etiam locum habet in Prælati Episcopo inferioribus, v. g. si subditis non suis sine licentia Ordinarij ipsorum minores ordines conferant.
6. Episcopus subditos suos in aliena diœcesi ordinans, absque licentia expressa Episcopi proprii, ab exercitio Pontificalium pen. annum; sic autem ordinati ab executione ordinum suspensi sunt.
7. Neque permissum est in loco exempto intra diœcesin sito absque Ordinarij licentia Episcopalia exercere, & Ordines conferre.
8. Vti nec in diœcesi aliena absque Ordinarij licentia etiam primam tonsuram conferre potest suis subditis Episcopus.

NOTANDVM Vn. Si Episcopus propter contractam censuram ordines non conferat, possunt subditi ad alium Episcopum se conferre: sed incumbit illis probatio, quòd ordinatio in sua Ecclesia peracta non fuerit propter censuram suspensionis aut excommunicationis ab Episcopo contractam, vti docet Rebuff. in praxi benefic. tit. de dimissorijs n. 19. Piafecijs p. 1. tit. 1.

QVÆRITVR primò. Vtrum pœna suspensionis sit à collatione omnium Ordinum, an eius tantum, quem ordinans subdito non suo malè contulit; Quòd sit suspensio à collatione eorum ordinum tantum, qui malè collati sunt, tenent Ioan. Monachus & Dominicus

hic arg. c. vlt. hoc lib. & tit. *ut in eo ordinans in quo peccauit, puniatur*: & argum. c. si compromissarius, 37. de elect. ex quo habetur, quod poena canonis accommodetur ad materiam, de qua agitur. Hæc sententia probabilis est: sed contraria, quæ est Gl. hic ver. ordinum, textui magis congruit: quandoquidem absolute dicitur, ordinantem à collatione ordinum suspensum esse, & ubi censura eius manifesta fuerit, subditos ad vicinos Episcopos pro ordinatione accedere posse. Vbi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, arg. l. de pretio, ff. de Publiciana. Ad congruitatem prioris sententiæ respondetur, contrarium colligi ex c. vel non est, 14. extra, hoc tit. ubi puerum ordinans in Subdiaconum, absolute à collatione ordinum suspenditur. Loquitur autem textus huius c. duntaxat de ordinum collatione. Quid verò de collatione primæ tonsuræ in hoc casu statutum sit, habetur infra c. vlt.

3 QVÆRITVR II. Vtrum Episcopus censuram incurrat, si Clericum alienum ordinet, ea præensione, quod Episcopus proprius id ratum habiturus sit? Negat Rebuffus in praxi benefic. p. 1. de forma dimissor. liter. num. 11. Quaranta in summa, ver. ordo, §. Amplia hanc extrauag. Quia non potest aliquis ratum habere, quod suo nomine gestum non est, reg. 9. in 6. Affirmat Gl. in c. vlt. causæ 9. q. 2. ver. poterit, Suarez de censur. disp. 31. sect. 1. n. 17. Azor tom. 2. lib. 3. c. 48. q. 3. Respondeo: Si Episcopus ob causam, quæ ipsi rationabilis visa fuit, Clericum alienum bona fide ordinauit, existimans videl. proprium Episcopum contentum fore, non incurrit censuram suspensionis, quia non peccat mortaliter. Sin autem temerè, & sine rationabili causa, siue (vt in textu indicatur) ficto quodam prætextu rati habitationis ordinauerit, incurrit censuram. Et verò nihil interest, vtrum Episcopus postea contentus sit, necne? Quia id solum attendi debet, vtrum Episcopus ob temeritatem peccauerit, idè que censuram incurrerit, quæ superueniente rati habitatione tolli non potest. An verò sine temeritate egerit; quamuis postea Episcopus contentus non sit, non debet ti-

meri censura. Ad reg. iuris 9. respondetur. Sensum regulæ esse, quod aliquis actum, qui suo nomine gestus non est, ratum habere non possit, ita vt ex eo obligationem acquirat, tanquam ob iuris fictionem eius auctor aut mandator fuerit, iuxta reg. 10. in 6. Interim nihil prohibet, quin aliquis actum non suo nomine gestum superueniente consensu approbet, & quandoque confirmet, sicuti constat ex c. quod sicut, 23. de elect.

QVÆRITVR III. Vtrum Trident. Concilium circa hanc rem quippiam mutarit Sess. 23. cap. 8. de reform. Respondeo. Nihil mutasse circa poenas, & inhabilitates: Requirit autem, vt ab Episcopo alieno ordinari cupiens, literis dimissorij, seu testimonialibus à proprio Ordinario commendetur. *si scilicet fiat, ordinans à collatione ordinum per annum; ordinatus verò à susceptorum ordinum executione, quam diu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Quæ verba intelligi debent, vt sint conformia iuribus antiquis, videlicet si quis sacrum aliquem ordinem per dolum, vel culpam latam acceperit, ab alieno Episcopo absque literis dimissorij, tum propriè suspensionem incurrat, ob Constitut. Pij II. *Cum ex sacrorum, adeo, vt si in suscepto ordine, ignorantia non excusatus ministraret, irregularitatem incurrat, dispensabilem tamen ab Episcopo, si delictum publicè notum non sit.* Idè que per Trident. concessionem Sess. 24. c. 6. de reform. Sin verò ordines minores tantum acceperit ab Episcopo alieno absque dimissorij, quamuis per dolum, vel si sacrum ordinem acceperit per simplicitatem, credens id sibi licitum esse, tum inhabilitatem quidem contraxit, vt sine proprii Ordinarij licentia in ordine suscepto ministrare non debeat, tamen propriè suspensus non est: neque ministrando in ordine irregularis fiet; tamen si Episcopi arbitrio puniri possit. Qua de re vide Zerolam, ver. dimissorij, ad 3. & 4. quæ situm.

QVÆRITVR IV. Vtrum hæc Constitutio non tantum locum habeat in Episcopis, sed etiam alijs Prælatibus v. g. Abbatibus, si minores ordines conferant subditis non suis sine licentia Ordinarij ipsorum. Responso est af-

est affirmatiua, cum Gl. hic ver. eos qui. Nam canon generaliter loquitur de ijs, qui ordinant Clericum suæ parochiæ seu curæ non subiectum. Quare si Prælatus regularis diœcesanum sibi in spiritualibus non subiectum, absque Ordinarij licentia, vel alterius Monasterij regularis, sine licentia Prælati ordinat, suspensionem à collatione Ordinum incurrit ex hoc c. Sed cuius in hoc casu licentia opus est, Ordinarij Prælati, an Episcopi diœcesis? Respondeo, Opus est tum licentiâ seu literis testimonialibus Prælati regularis, tum verò etiam consensu Episcopi, vti Cardinales declararunt apud Gallem super Trident. sess. 23. c. 10. de reform. Credibile tamè est, non contracturum Prælatorum suspensionis censuram, si alterius tantum consensum seu licentiam habuerit.

6 QVÆRITVR V. Verùm Episcopus subditos suos in aliena diœcesi ordinare possit? Respondeo & Dico I. Si Episcopus electus, etiam sibi subditos, in aliena diœcesi ordinat, absque expressâ licentia Episcopi proprii, ordinans ab exercitio Pontificalium per annum, & sic ordinati ab executione ordinum suspensi sunt. Ita Concil. Trident. sess. 6. c. 5. de reform.

Circa quam Constitut. Nota I. Eâ vniuersum prohiberi exercitium Pontificalium in diœcesi aliena, ad eod. vt Episcopus in aliena diœcesi sacra vasa, aut calices etiam pro propriæ ecclesiæ vsu consecrare, aut subditis suis confirmationis sacramentum ministrare non possit, alioquin suspensionem incurrit à Pontificalibus, id est, omnibus actibus, qui episcopalis Ordinis proprii sunt.

Nota II. Quòd Concilium requirat licentiam expressam Episcopi proprii, ideòq; non sufficere præsumptam sub spe rati habitationis. Si tamen Episcopus bona fide, existimans se non agere contra Concilium, neq; contra voluntatem Episcopi diœcesis, actum episcopalem exercent, arbitror illum immunem fore à censura suspensionis: quia ea non incurritur nisi ob culpam, eamq; mortalem, vt dixi lib. 1. Th. mor. tr. 3. p. c. Quamuis contrariū in hoc casu responderit Nauar. lib. 5. Confil. 12. de cler. excom. ministr.

edit. 2. Zérol. in praxi p. 2. ver. Episcopus, n. 2. Sed alia ratio est de ordinatis: Horum enim ordinatio facta extra diœcesin sine Episcopi ordinarij consensu irrita censetur quoad executionem, tamen si fortè ipsi non peccarint, existimâtes v. g. Episcopum suum ordinandi licentiam habere, iuxta c. Episcopum, 7. causa 9. q. 2. Etenim sicut sententiæ à iudice nō suo, vel à iudice extra territorium lata irrita est, ita secūdum canones ordinatio ab Episcopo non suo, vel à suo extra diœcesin habita, irrita censetur in ordine ad legitimam executionem.

Dico II. Neq; concessum est Episcopo in loco exempto intra diœcesin sito, Episcopalia exercere, & Ordines conferre, sine consensu Episcopi ordinarij. Sin autem locus exemptus sit extra diœcesin, seu nullius diœcesis, tum sufficit licentia seu vocatio Prælati exempti. Ita declararunt Cardinales super Trident. sess. 6. c. 5.

Dico III. Non defunt DD. qui dicunt, Episcopum in diœcesi aliena, absque Ordinarij licentiâ, primam tonsuram suis subditis conferre posse. Ita Rebuf. in praxi, p. 1. tit. de Clericis, & à quibus creentur, n. 11. Azor tom. 2. lib. 3. c. 48. q. 3. Henriq. lib. 2. sum. c. 6. §. 6. Ratio reddi potest: Quia collatio primæ tonsuræ non tam propriè inter actus Pontificales numeratur: cum etiam ab ijs interdum conferatur, qui insignia Pontificalia non gerunt, vt dixi in c. 2. de suppl. negl. Prælatorum. Hæc sententia displicet Barbosæ p. 2. allegat. 6. n. 19. Et non immeritò, eum in iure fundamentum non habeat. Negari autem debet, primæ tonsuræ collationem non esse actum Pontificalem, cum spectato communi iure, & spectata prima institutione solis Episcopis competat. Apparatus autem, seu insignia Episcopalia accidentaria sunt, quorum omisio non facit actum Episcopalem non esse. Quare Nauar. in consil. 12. de Cleric. excommun. ministr. edit. 2. benedictionem corporalium, quæ tamen fit absque Pontificalibus, inter actus Pontificales numerat.

Sss

CA.

Cùm nullus.

PARAPHRASIS.

Cùm sacris canonibus prohibetur, ne quisquam Clericum ordinet absque licentia ordinarij Superioris sui, hoc nomine intelligi debet Episcopus eius diœcesis, ex qua oriundus est illè, qui ad ordines promoueri cupit, vel in qua beneficium obtinet, vel in qua domicilium habet.

SYMMARIVM }

1. Episcopus originis, domicilij vel beneficij iure communi Ordines conferre, & literas dimissorias dare potest.
2. Inferiores autem Prælati non nisi ex speciali indulto, vti & Officialis & Vicarius Generalis literas dimissorias dare possunt.
3. Nec Capitulum Sede vacante, exceptis quibusdam casibus.
4. Prælatis regulares possunt dare subditis suis regularibus (non secularibus) literas dimissorias, sed ad Episcopum eius diœcesis, in qua situm est Monasterium, cuius incola est Regularis ordinandus.
5. Pleriq, tamen Ordines exempti possunt dare suis subditis Regularibus dimissorias ad quemcunque Episcopum Catholicum, à quo etiam ij ordinari possunt.

NOTANDVM Vn. Triplex est Episcopus, qui ordines iure communi & ordinario conferre potest, & consequenter dimissorias literas dare: (Quod enim quis per se facere, id etiam alteri capaci committere potest, iuxta reg. 68. in 6.) Videl. Episcopus originis, Episcopus beneficij, Episcopus domicilij, vti fusè explicauì lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 9. assert. 4. Addit Barbosa p. 2. allegat. 7. n. 4. Si Episcopus ex priuilegio, vel præscripta consuetudine ordines qui-

busdam conferre possit, eum etiam literas dimissorias dare posse. Quomodo in Trident. Concil. sess. 23. c. 9. de reformat. concessum est, vt Episcopus Clericum familiarè, seu domesticum, alioquin non subditum, si triennio eum ipso commoratus sit, ordinare possit; modò ei statim beneficiù conferat. Vbi Cardinales declararunt, eadem ratione dimissorias literas ipsi dari posse. Porro quod hoc c. de ordinum collatione dicitur, etiam de prima tonsura intelligi debet, cùm & hæc ordinatio quædam sit, vt supra dixi c. 1. hoc lib. & tit.

§. Inferiores.

Inferiores Prælati, etiam Regulares, non possunt literas dimissorias ad alienum Episcopum dare, nisi id eis à Sede Apostolica specialiter indultum sit, quòd Clericos aut subditos suos, ad quem voluerint Episcopum, ordinandos mittere possint. Sed neque Officialis, seu Vicarius Generalis Episcopi literas dimissorias dare potest.

Id verò limitari debet I. Nisi Vicarius ab Episcopo speciale mandatum, vel licentiam dandi dimissorias acceperit, vti Gl. notauit ver. extendat. II. Nisi Episcopus in partes remotas abcesserit, vti in hoc c. dicitur. §. Episcopo. Monent tamè Iac. Sbroza de Vicario Episc. lib. 2. q. 41. n. 12. Piafeci in praxi Episcop. p. 1. c. 1. n. 10. non esse satis tutum, vt Vicarius absente Episcopo sine mandato speciali dimissorias concedat. Sed in hoc spectanda ex consuetudo diœcesis, & quæ sit censenda voluntas Episcopi absentis. Vide in declarat. prætermisissis super Trident. sess. 23. c. 11. de reform.

His adde ex Trident. sess. 23. c. 10. de reformat. Quod neque exemptis Prælatis concessum est literas dimissorias subditis suis secularibus ad alterum Episcopum dare, cum eorum ordinatio spectare debeat ad Episcopum diœcesis, intra cuius fines exemptus Prælatus habitat. Præterea, licet olim Sede Cathedrali vacante Capitulum ordinandi licentiam, aut literas dimissorias concedere potuerit,

potuerit, vti hic apparet in cit. §. Episcopo, tamen ea facultas, exceptis quibusdam casibus, ablata est in Trident. sess. 7. c. 10. de reform. & dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 16. Quare hodie ordinatio, Sede vacante, fieri non potest intra annum. Quod tamen intelligi debet de ordinatione subiectorum: interim non prohibetur Capitulum in diocesi sua exteros ordinandi alicui Episcopo licentiam dare, vti docet Henricq. lib. 10. c. 22. Piafecijs p. 1. c. 1. n. 10.

§. Religiosi.

SI Monasterium situm in vna diocesi prioratum habeat in alia diocesi, eumque non exemptum ab Episcopo loci, tum qui in prioratu illo cum Superiorum facultate degunt, ordinari possunt ab Episcopo eiusdem loci seu diocesi, licet inde oriundi non sint.

Nunc verò habemus expressiorem de hac re Constitutionem Clementis VIII. apud Quarantā in sum. Bullarij, ver. ordo, Barbofam p. 2. alleg. 7. n. 18. & in declarat. Cardin. pratermissis, super sess. 23. Trident. c. 10. Quod Regulares Prælati literas dimissorias subditis suis iisdem regularibus (non autem secularibus sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, cit. sess. 23. c. 10.) dare possint; sed ad Episcopum diocesenum, nempe eius diocesis, in qua situm est Monasterium, in quo à Superiore positus est Regularis ordinandus; ea tamen limitatione, vt si Episcopus ille absens sit, vel ordinationes non habiturus, tum Regularis ad quemcunque alium Episcopum mitti possit, à quo examinandus erit quoad doctrinam: dummodò ne quid in fraudem fiat, seu non de industria differatur concessio dimissoriarum ad proprium diocesenum (v. g. donec Sedes vacet, & nulla ibi ordinatio sit) vt ad alienum Episcopum literæ dirigi possint. Porrò si ob causam absentiae, vel non habitæ ordinationis, dimissoriæ ad alium dirigantur Episcopum, ea in literis exprimenda erit. Vide etiam Trident. ead. sess. 23. c. 12. de reform. Rodrig. tom. 1. q. 18. a. 6.

QVÆRES: Vtrum hæc intelligi etiam debeant de Prælati Regularibus exemptis ab Episcopo, quod Regulares suos mittere debeant ad Episcopum eius diocesis, in qua Monasterium eorum situm est. Videtur esse affirmandum; cum Clemens VIII. nihil distinguat inter exemptos, & non exemptos. Ceterique tamen Ordines exempti priuilegium à Sede Apostolica acceperunt, quod à quocunque Episcopo Catholico cum Prælatorum suorum licentia seu literis dimissorijs ordinari possint, vt videre licet apud Rodrig. tom. 1. q. 18. a. 5. Mirandam in man. Prælatorum tom. 1. q. 39. a. 3. Compendium Societ. Iesv, ver. ordo. Neque talibus priuilegijs repugnat Concil. Trident. cit. sess. 23. c. 10. cum tantum prohibeat regularibus Prælati, etiam exemptis, ne secularibus subditis suis dimissorias ad alios Episcopos concedant. Cæterum, si Prælati exempti regularis, vel secularis, quasi Episcopalem in loco iurisdictionem obtineat, quod propter immemoriam consuetudinem dimissorias subditis suis secularibus dare possit, ex responsione Rotæ Rom. tradit Piafecijs p. 1. c. 1. n. 12.

CAPITVLVM VI.

Nullus.

PARAPHRASIS.

Hoc c. quatuor prohibentur: Primum. Ne quisquam Episcopus, alijsue infanti, id est, qui septem annos ætatis non impleuit, primam tonsuram conferat: Præterquam si Religionem ingrediatur, videl. à parentibus, vel tutoribus oblatas, vt olim moris erat. Quod annotauit hic Ancharanus.

Secundum. Ne prima tonsura conferatur homini illiterato, id est, qui literas latinas omnino nescit, vt idem Ancharanus annotauit. Vide Trident. sess. 23. c. 4. de reform.

Tertium. Ne quisquam tonsuram primam conferat homini diocesis alienæ, absque

abfq; licētia Superioris, id est, Episcopi, vti constat ex c. præc. & notat Gl. hīc ver. Superioris. Tamen si enim in c. præc. duntaxat statutū esse videatur de ordinatione strictè sumpta, quōd Clerico alienæ diocesis abfq; licētia, seu dimissōrijs literis Episcopi propriij fieri non possit, idem tamen sentiendum quoq; est de collatione primæ tonsuræ, vti cōstat ex hoc c. & c. primatus, d. 71. Quare etiam prima tonsura ab alieno Episcopo malè collata irrita cēseri debet. ita vt sine dispensatione Episcopi ad vltiorem ordinem ascendere non possit. Censura tamen maior seu feuerior incurritur ab eo, qui ordinem tonsurato confert, quàm ab eo, qui primam tonsuram, vti dictum est in c. 2. hoc lib. & tit.

Quartum. Ne prima tonsura conferatur coniugato, nisi Religionem intrare, vel ad sacros ordines promoueri velit. si tamen vxor etiam Religionem ingredi, vel in seculo manens continentia vōtum edere velit. dummodò hoc casu talis ætatis sit, vt extra incontinentiæ periculum esse videatur. **Qua** de re in c. cum sis, c. coniugatus, c. vxoratus, de conuers. coniug.

Qui autem contra hæc fecerit, per annum à collatione tonsuræ clericalis tantum ipso iure suspensus manet: vt videl. in eo, in quo peccauit, puniatur.

S V M M A R I V M.

1. Si Episcopus proprius suspensus est, non ta-

men diocēsani libere possunt ad alium Episcopum pro susceptione clericalis tonsuræ accedere.

2. Potest autem Episcopus suspensus (vix & confirmatus ac nondum consecratus) dare literas dimissōrias ad alienum.

QUÆRITVR hic primò: Si Episcopus proprius suspensus sit, vtrum diocēsani libere ad alium Episcopum pro susceptione clericalis tonsuræ accedere possint? Negat hic Gl. fin. communiter recepta: cum id nullibi expressum sit; sed tantum clericis, quōd Episcopo suspēso propter alienæ diocesis Clericum ordinatum, ad alium Episcopum accedere liceat, c. 2. hoc lib. & tit. Potest verò Episcopus suspensus in hoc casu dare literas dimissōrias ad alienum Episcopum, sicuti Episcopus confirmatus, ac nondum consecratus, teste Ioann. Andr. & Anchorano hic.

QUÆRITVR secundò: Vtrum hæc pena extendenda sit ad eos, qui ordines v. g. minores conferunt infanti, illiterato, aut coniugato? Ita affirmat S. Anton. in sum. p. 3. tit. 28. c. 4. Sed contrarium est tenendum: Quia lex pœnalis propter rationis identitatem extendenda non est vltra casum expressum. Adde, specialiter prohibendum fuisse, ne prima tonsura conferatur inhabilibus personis; cum ea sit veluti ianua, per quam homines ad statum clericalem admittuntur, vti Suarez annotauit de censur. disp. 31. 5. n. 3.

TITVLVS XII.

DE SCRVTINIO IN ORDINE SERVANDO.



Agitur de scrutinio, id est, examine, quod ante ordinationem institui debet, num idonei sint, qui ordinationem petunt, iuxta

c. 2. d. 24. Hoc autem examen ad Episcopum ordinarium pertinet, qui si dimissōrias literas dare velit ad alium Episcopum, prius examen de vita ac moribus ordinandi institueret.